

EXAMEN CENSURÆ

AD CENSURAM CAPITIS XII.

De Bonis operibus in specie deq;
Decalogi expositione.

Capitis huius censura Ixionis nubes est: Nihil in ea est nisi suspicionis vapor, & ægri animi fuligo. Primo loco censetur, quod *Remonstrantes, ea quæ a Christo dicta sunt in monte, Matth. v. 6. & 7. totis, ita referant ad bona opera Christianis omnibus communia, ut in doctrina trium illorum capitum nullum opus à Christo commendatum agnoscere NB. videantur ex illis, quæ certarum vocationum, propria esse dicunt. In eo hallucinantur,* inquit. Quantum crimen, Censor, si hoc omninò verum est? At unde hoc colligis? Vide Lector quam acutium cernat, acutius sanè quam aut Aquila, aut serpens Epidaurius. Ad marginem Confessionis suæ notaverunt Remonstrantes capita Matth. v. 6. & 7. quibus totis de bonis operibus, quæ Christianorum omnium sunt communia, agi innuerant. Ex hoc tam exili ovo nata est hæc ingens Censura, Crocodili instar. Nempe hæc hæresis est; *Totis capitibus 5. 6. & 7. Matth. dicunt Remonstrantes describi bona opera Christianis omnibus communia.* At quis aded seu ignarus seu iniquus rerum æstimator est, qui vel nesciat, vel neget sæpissimè dici, totis Epistolis aut capitibus aliquid tractari, quod præcipuè & maxima parte in iis tractatur? Decalogus ipse totus, Lex esse moralis, & non nisi moralia præcepta continere dicitur; cum tamen certum sit quartum ejus præceptum de præcisâ septimi diei sanctificatione purè putè cæremoniale esse. Epistolæ totæ ad Romanos & ad Galatas de justificatione hominis agere dicuntur, cum tamen alia nec pauca nec levia in iis etiam tractari certū sit. A præcipua & potissima parte semper fit denominatio. Jam autem Censor hic fatetur, pleraq; omnia, quæ in sermone illo tribus Matth. capitibus recensito dicta sunt, ad omnium Christianorum vitam informandam facere. Potuerunt itaq; jure optimo Remonstrantes etiam dicere, totis istis tribus capitibus Matthæi describi opera, quæ Christianis omnibus sunt communia: Non enim idcirco negant, aliqua in iis esse quæ specialiter ad Apostolos pertinent, & quæ certarum vocationum sunt propria. Hæc enim, quia pauca sunt, in censum non veniunt, & pro nihilo habentur. Et fungi sanè ac fuci habendi

Rectè dictum esse in declaratione, totis capitibus v. 6. & vij, Matth. describi bona opera Christianis omnibus communia.